Archibaldus Pitcarnius

ARCHIBALDI PITCARNII

Solutio Problematis de

HISTORICIS;

Seu,

INVENTORIBUS.

EDINBURGI, Typis *Joannis Reid.*
1. *Septembris*, *Anno* 1688.

Harvard College Library
Farrar Fund
October 25, 1946

HONESTISSIMIS VIRIS,

OPTIMISQUE

MEDICIS,

ARCHIBALDO STEVENSONO & ANDREÆ BALFOURÆO;

ARCHIBALDUS PITCARNIUS.

Mnes homines qui ſcripta vel inventa ſua in lucem publicam proferunt, aut inanis cupido gloriæ, aut amor Reipublicæ percellunt. Hiſce acceptum referre decet quæcunque majores noſtri literis aliiſve modis prodidere ad excolendam vitam inventa ; ad hæc quoque reſpicere oportet ſi ſuam cuique artium inventori laudem tribuere volumus. Quare non opus eſt dicere quæ me permoveant ut ſcriptiunculam hanc edam , mirandumque potius eſt non fuiſſe prius editam. Eam verò ad vos mitto , quia ferè nil ſecum fert quod veſtrum jure poſſit appellari ; nam quicquid arte medicâ valeo , id veſtris debeo ſaluberrimis præceptis, veſtra autem ad voſmet ipſos muneri miſiſſe non fuerit honeſtum. Itaque ſolum mitto quæ olim meditatus ſum de Problemate ad Inventores rerum artiumque inveniendos inſtituto ; Eſt enim illud Problema nobiliſſimæ utilitatis , at à nemine pro rei dignitate excultum.

Inventoris, auctoris, obſervatoris & hiſtorici voces promiſcuè & pro cadem uſurpabo ; advertique volo Problematis propoſiti , duos eſſe caſus : Vel enim auctoritas inventoris

ſeu hiſtorici Problematis conditiones non ingreditur vel eas ingreditur. Poſteriorem Problematis caſum ſolvere debuerunt, qui *Hippocratem* vel *Ariſtotelem* tallere tallique nequiviſſe affirmant, & Theorematum ad Philoſophiam medicinamque pertinentium veritatem eo aſſumpto oſtendere conantur. Priorem caſum ſolutu neceſſarium nobis fecit ignava quorundam hominum otio aburentium ſedulitas: Qui cum nihil invenire, ſolumque ab aliis inventa rimari poſſent æqualibus ſuis invidere, eorumque inventa veteribus aſcribere cœperunt: Nonnulli quoque ſunt qui, cum invidos iſtos Præceptores habuerint, ab iis ad immodicam veterum lectionem admirationemque ſunt præcipitati non advertentes malo animo à Præceptoribus id eſſe factum. Hi ergo idem faciunt majorum inſano amore quod alii æqualium odio incitati. Ad ſolutionem caſûs prioris accedo.

1. Theorematis aut inventi auctor publicus cenſeri debet qui primus ea tradidit ex quibus Theorema propoſitum facilius deduci poteſt, quàm ulla primi *Euclidis* propoſitio ex ejuſdem axiomatis, definitionibus & poſtulatis: dumque ea traderet non fuit occupatus in iis corollariis deducendis quæ infinities minoris momenti & utilitatis ſunt quàm illud eſt de quo quæritur At ſi neque ea tradidit primus ex quibus ea facilitate, quæ requiritur, theorema propoſitum colligitur, neque Theorema ipſum diſertiſſimè explicavit, ſed quam prolixè & diſertè fieri poteſt infinita alia minimi momenti protulerit tanquam ex datis emanantia non eſt inventi de quo quæritur auctor habendus.

Hæc propoſitio præter initio dicta non aliud ſupponit quàm quòd nulli medico aut Philoſopho omnia nota ſunt quæ ex notis Colligi & deduci poſſunt.

2. Qui primus de invento propoſito locutus eſt publicè

et eodem modo quo postea de eo locuti sunt alij quibus nemo est qui non fateatur inventum de quo quæritur fuisse cognitum, neque alia simul tradiderit & quidem æque vel magis diserte invento proposito contraria, Is ejus auctor censeri debet. At si non aliter de eo fuerit locutus quàm loqui solent ij quos omnes fatentur inventi fuisse ignaros, aliaque plurima sæpiùs tradiderit magisque diserte proposito Theoremati contraria, is auctor theorematis non est habendus.

Hæc propositio huic innititur assumpto, Quòd si quis decies scriptum reliquerit numerum stellarum esse imparem & semel tantum scripserit esse parem, Credibile est eum putasse illarum numerum esse revera imparem. Ut quæ jam dicta sunt facilius intelligantur, adverti velim quo pacto ea ad quæstionem de inventore Circuitûs sanguinis solvendam applicari possint. Quæstio in eo præcipuè versatur ut inveniamus an *Hippocrati* cognitus fuerit sanguinis Circuitus. Vocem autem circuitus eodem modo ab *Hippocrate* usurpatum, quo ab *Harveo* fuisse liquido debet constare, ita ut invenienda sit in *Hippocrate* descriptio hujus Circuitus satis clara & distincta.

Ego verò affirmo circuitum sanguinis nunquam diserte ab *Hippocrate* discribi, nihilque in ejus scriptis contineri quod suadeat motum illum ei cognitum fuisse, sed tantum cognosci ab eo potuisse si quædam satis perpendisset. Sed quamvis nuspiam circuitus sanguinis perpetui meminerit, ea tamen sæpissime commemorat ex quibus deduci potest ille circuitus, quem quidem nunquam exinde colligit licet inventum sit longè majoris momenti quàm sunt ea omnia quæ ex sibi notis intulit & prolixè inculcavit *Hippocrates*. Nota nempe fuit *Hippocrati* venæ-sectio, ex eâ celebratâ colligi potest sanguinis circuitus perpetuus: Ex eâ tamen non hunc circuitum, sed plurima alia partim futilia, partim falsa & circuitum sanguinis destruentia, eaque omnia momenti prorsus minimi fastidiosâ loquacitate ostentat. Qui ejus viri nimiâ tenentur admi-

ratione

ratione. Legant Libros de locis in homine, de morbo ſacro, de victûs ratione; quo facto facile intelligent quantum ſeſe efferat dum à ſe inventa memorat humilia quidem illa & quæ cum circuitu ſanguinis perpetuo conferri neutiquam poſſunt. Sane non eſt credibile *Hippocratem* graium hominem qui tam trita toties lectori ſuo apponit, non fuiſſe verboſâ & ad pompam compoſitâ oratione proſecuturum ſanguinis circuitum, ſi eum cognoviſſet, cum is omnia *Hippocratis* omniumque ab *Æſculapio* genus ducentium inventa utilitatis gloriâ longiſſimè anteiret. Cognitus fuit *Hippocrati* arte iatrum pulſus, ex eo ſanguinis circuitum perpetuum debuiſſet colligere; At nihil tale colligit: Sed, cum cauſa pulſus ei foret deſcribenda rem circuitui prorſus adverſam propoſuit: Quod non feciſſet ſi veram pulſus cauſam, nempe ſanguinis circuitum ullatenus perſpectum habuiſſet. Et quam, quæſo, pulſationis inter aures & tempora perpetuæ cauſſam putas divinum iſtum, ut vocant, ſenem divinaſſe? Non loquor de pulſatione aucta per febrim & capitis dolorem, quæ perpetua non eſt, & de qua *Hippocrates* libro de flatibus: Nam cauſſa pulſus perpetui redditur ab eo in libro de locis in homine, quæ ita ſe habet. In omnibus corporis venis ſanguis continetur, qui eas irrigat; ſi venas exceperis, quæ inter aures & tempora ſemper pulſant, in his enim nullus eſt ſanguis: quia qui iis eſt vicinus, cupit ab iis diſcedere, & in vias contrarias averſus occurit adverſo ſanguini, cum quo confligit: ex horum luctâ oritur pulſus.

Deinde advertatur *Hippocratem* de motu ſanguinis nunquam aliter loqui quàm locuti ſunt poſtea alii quos manifeſtum eſt omneſque fatentur circuitum perpetuum non agnoviſſe, quorumque aliqui etiam ab *Harvæo* declaratum & demonſtratum negârunt. Legat qui volet ſcriptores medicos *Harvæo* ætate ſuperiores, & aliquos etiam æquales; Comperiet profecto veriſſimum eſſe quod aſſero, piget quippe eorum ſententias exſcribere. Hæc cum ita ſe habeant, licebit concludere circuitum ſanguinis verum fuiſſe *Hippocrati* ignotum.

Cognita

Cognita fuerunt *Hippocrati* cordis fa[illegible] deque eo librum conſcripſit; de illo etiam librum [illegible] *Harveus*. Quam vellem ut, qui circuitum priori notum [illegible] utriuſque de corde ſcripta ſedato animo inſpicerent. In libro *Hippocratis* de corde nulla de circuitu ſanguinis perpetuo verba, ſed plurima partim legi non digna, partim non vera, & circuitui ſanguinis adverſantia. Poſtquam multa de liquore pericardii, de cauſſâ cur aqua in laryngem defluens tuſſim excitet, more ſuo peroraſſet, operoſè probat auriculas cordis non eſſe auditûs organa, quia inquit non habent aurium foramina, nec audiunt clamantem. Erat profecto *Hippocrates* verborum non parcus, itaque putandum non eſt eum, qui tot verbis res tam nullius pretii explicare fuerit dignatus, non fuiſſe circuitum ſanguinis pro rei majeſtate declaraturum, niſi hic ei non fuiſſet cognitus. At verò, cum oblata foret hunc circuitum plenè & diſertè deſcribendi pulcherrima occaſio, ſolummodo nos docuit mentem hominis eſſe ſiniſtro cordis ventriculo inſitam; ubique autem docet ſanguinem ab animâ in motum agi per venas noſtro ſæculo dictas verſus extimas corporis partes, perque eaſdem retro agi ab ejuſdem animæ redeuntis incerto impulſu, eâque quieſcente tranquillum eſſe. Illud enim notatu dignum arbitror, *Hippocratem* ſæpiſſimè ea prolixè proponere, quæ circuitui ſanguinis adeo manifeſtè ſunt contraria, ut ea ſcribentem oportuerit circuitûs fuiſſe ignarum. Fieri quidem poteſt ut Elementorum Geometriæ non ignarus propoſitionem edat per multas ambages deductam, quæ cum aliquâ forte illorum particulâ pugnare deprehendetur, ſed impoſſibile eſt ut Elementorum iſtorum gnarus ea ſæpiſſime ſcribat, quæ omnibus eorum propoſitionibus apertè repugnent. Quare, cum *Hippocrates* ſæpiſſime non ſolum circuitui ſanguinis obſcure contraria, aut quibuſdam tantùm ab eo pendentibus corollariis, ſed apertè circuitui adverſantia, hoc eſt omnibus Elementorum Medicinæ propoſitionibus manifeſtè contradicentia diſertiſſime tradiderit, non exiſtimandum eſt eum ſanguinis circuitum agnoviſſe. Eos, qui tam ſtudioſè *Hippocratem* rimantur

mantur ut inveniant aliquid, quod circuitum ſanguinis indicare videatur, rogo ut ea ejus viri dicta exſcribant aut adnotent, quæ contrarium apertè ſignificant; eorum enim numerum immanem invenient, opuſque hoc, quàm illud cui incumbunt, minùs arduum, neque tamen minus utile eſt futurum.

Sed, ut ſumma huic rei claritas adferatur, juvat *Hippocratis* de motu ſanguinis ſententiam breviter enarrare; eâ enim intellectâ manifeſtum erit illum de nullâ re minùs, quàm de circuitu ſanguinis, cogitaſſe.

Credebat *Hippocrates* animam hominis igne & aqua conſtare ſicut corpus, ſed exilioribus, adeoque facultate donatam eſſe vitam conſervandi, cum, vero ut dicere ſolet, ignis omnia movere, aqua nutrire omnia ſemper poſſit, Animæ hujus influxum per poros cutis, perque eos effluxum omnium, quæ in homine fiunt, auctorem eſſe putabat. Nempe hujus nutu ſanguinem aliàs immotum verſus quaſvis partes impelli, & per eaſdem repelli nulla certa lege aut temporis periodo devinctum. Ubicunque autem ambitum dicit, vaſa ſe intelligere miris modis intorta apertè ſignificat, in quibus ſanguis tranquillus conſiſtit ſi animæ requies conceditur. Quæ ſane circulationi ſanguinis, quam dicunt, adeo ſunt adverſa, ut mirum ſit Inventos eſſe, qui ejus inventæ laudem in *Hippocratem* contulerint; Crediderintque circuitum ſanguinis à ſummo viro *Gulielmo Harvæo* repertum nil aliud eſſe, quàm motum animæ per corpus inceto modo divagantis, qui animæ motus tam diſertè totieſque ab *Hippocrate* celebratur, ut vel cæco manifeſtum eſſe poſſit dogma illud eſſe, cui reliqua omnia ejus viri ſerviant; cui tamen circuitus ſanguinis verus omnium maximè adverſatur.

Si plura de rebus Medicis aſcribere vacaret multa eodem modo poſſem oſtendere *Hippocrati* aliiſque veteribus noſtri ſæculi inventa immeritò tribui. Sed præſtat regularum noſtrarum vim in exemplo Geometrico experiri.

Edidit ante quatuor ferè annos *David Gregorius* diſſertationem

nem de Quadraturis Figurarum, in qua non putavit ſe methodum ſuam extendere debere ad eas curvas, quas non conſtabat patrui ſui *Jacobi Gregorii* curas ſubiiſſe. Quamvis enim facile crederet *Jacobum* longe extra ſimplicium quadraturarum limites proceſſiſſe, tamen, cum ejus ſcripta de ea re jampridem interciderent temporum non magis quàm hominum injuria, nihilque reliqui factum eſſet præter nuda methodi non adſcriptæ exempla in Epiſtolarum quas ab amicis acceperat locis vacantibus temere exarata, & ea omnia circa ſimplices quadraturas verſantia, non exiſtimabat debere ſe methodum alio modo explicatam edere, quàm qui ſufficeret exemplis iſtis illuſtrandis. Id dum effectum daret oſtendit *Gregorius* methodum ſemper perveniendi vel ad arcæ cujuſvis curvilineæ valorem finitum, vel ad ſeriem infinitam arcæ æqualem.

Supereſt ſolùm ut inveniatur alia ſeries talis, ut ejus termini priores curvarum quadraturas exhibeant. Id quo pacto fiat nunc pernoſcite.

Sit curvæ Geometricæ abſciſſa X, applicata I, & A, B, S, quantitates cognitæ, R, M, N. &c. Poteſtatum exponentes indeterminati. Deinde quantitates valorem applicatæ indicantes vinculo ſeu ſigno radicali includantur. Patet *Davidem Gregorium* quadraturas omnium curvarum nullum terminum neceſſariò ſub vinculo habentium inveniendi methodum perfectam tradidiſſe. At reliquæ omnes curvæ tales ſunt, ut earum æquationes exhibere poſſint valorem ſuæ applicatæ, vel per terminos duos aut tres, &c. Sub vinculo cõprehenſos, vel performulam plures hilce ſimiles continentem. Si æquatio curvæ propria valorem applicatæ duobus terminis vinculo incluſis exhibeat,

Nempe si sit L æqualis $BX^{R} \times \overline{SX^{N}+A}^{M}$, erit areæ ejus æqualis series sequens sc:

$$\overline{SX^{n}+A}^{M+1} \times \frac{B \times S^{-1} \times X^{R-N+1}}{MN+R+1} + \frac{\overline{N-R-1} \times BA \times S^{-2} \times X^{R-2N+1}}{\overline{MN+R+1} \times \overline{MN+R+1-N}}$$

$$+ \frac{\overline{N-R-1} \times 2\overline{N-R-1} \times BA^{2} \times S^{-3} \times X^{R-3N+1}}{\overline{MN+R+1} \times \overline{MN+R+1-N} \times \overline{MN+R+1-2N}} + \text{\&c.}$$

dempto ultimo seriei abrumpentis termino ducto in A^{M+1}.

Hic verò patet seriem hanc abrumpi quadraturamque exhibere cum $R+1$ æquatur n vel $2n$ vel $3n$ &c. id est cum $\frac{R+1}{N}$ est numerus integer & positivus. Unde cuivis vel mediocriter in Geometricis versato manifestum fiet quot infinitates curvarum nullis ante cognitis modis tractabilium quadraturas suas terminis numero finitis exprimendas facile sunt largituræ. At si M sit numerus integer & positivus, (cui casui in exercitatione *Davidis Gregorii* satisfactum est) sumendus erit supra scriptæ seriei (quam liceat factorem universalem appellare) terminorum numerus æqualis $m+1$, & quantitatis $\overline{SX^{n}+A}^{m+1}$, ad seriem redactæ primus terminus in omnes factoris universalis assumptos ducendus, secundus in omnes dempto ultimo tertius in omnes demptis ultimo & penultimo, *&c.* In hoc enim casu series non abrumpitur, sed ii termini, qui ex ulteriori, quam quæ præscripta est, multiplicatione oriuntur, evanescunt.

Factor universalis seu series illa in cujus singulos terminos ducenda est quantitas hæc $\overline{SX^{n}+A}^{m+1}$, facillime invenitur dividendo areæ valorem infinita serie significatum, & ope methodi *Gregorianæ* inventum per hanc quantitatem $\overline{SX^{n}+A}^{m+1}$ etiam in seriem resolutam.

Hisce

Hiſce intellectis patet methodum hanc cuivis formulæ quantumvis multos ſub vinculo terminos ferenti poſſe applicari; adeo ut ſi quis diviſionis haud operoſæ negotium in ſe ſuſceperit, canonem quadraturas cujuſvis curvilinei generis innumeras impertientem nullo fere negotio ſit eliciturus. Eum autem qui infiniti-nomii quadrandi laborem non refugiet, moneo ne ad inferiores formulas tractandas animum adjiciat, cum canon ſuperioris cujuſvis inferioris canonem complectatur. Denique advertat analyſta formulas, quæ ſub vinculo continent numerum terminorum imparem, (ſemper enim vitandæ confuſionis gratia unicus apponatur terminus totum vinculum afficiens) non eſſe indefinite quadrabiles; quod quidem demonſtratum dare perfacile eſt: quapropter non eſt formulis iſtis quadrandis ſeriò incumbendum.

Atque hæc tam pauca, tamque facilia videntur mihi ſupplementum diſſertationis *Gregorianæ* comprehendere. Quæri jam poſſet quis hujus ſupplementi auctor fuerit & inventor?

Is autem eſt *David Gregorius*, qui ejus me olim participem fecit; quodque nunc primus libenter emitto. Ejuldem quoque poſtea particeps factus eſt cõmunis amicus *Johannes Craggius* & facilitatem qua ejus ope quadraturæ eliciuntur non ſemel mecum eſt admiratus. Hæc verò ſatis ſuperque probant *Gregorium* inventi hujus pulcherrimi auctorem, meaſque de inventoribus regulas mirifice confirmant, hinc enim manifeſtum evadit proprietates, quas in auctore inventi indubitato deprehendimus, eas ipſas eſſe quæ in noſtris regulis continentur, cujus rei gratia potiſſimum hanc ingenii *Gregoriani* prolem in publicam lucem protruſimus.

Delapſi nunc ſumus ad ſecundum Problematis initio propoſititi caſum, nempe cum inventoris auctoritas conditiones problematis ingreditur. Caſus hic ſpeciali ſolutione non eget, cum omnia ad eum enucleandum neceſſaria, per ſolam limitationem primo caſui rite adhibitam poſſint præſtari. Hujus

limitationis legitimum fundamentum, quàm fieri poteſt breviſſimè aperiam.

Cautè diſtinguendum ſemper eſt inter ea quæ ob ſuam vel aliorum evidentiam demonſtrata ſunt, quorum nempe talis eſt evidentia, ut poſtquam ipſorum probationes intelleximus, ea aliter concipere nequeamus; Et ea quæ neque ex ſeipſis neque ex aliis ſunt demonſtrata. Prioris generis eſt hoc, totum eſt parte majus, poſterioris hoc, *Pythagoras* invenit 47^mam^ imi *Euclidis*. Per demonſtrata igitur ea intelligo, quorum probationes conficiunt impoſſibile eſſe ut ipſa ſe aliter habeant; unde ſequitur ea ſemper eodem modo ſe habere. At per non demonſtrata ea intelligo, quorum probationes non conficiunt ipſa aliter eſſe non poſſe; unde concludi nequit ea ſemper eodem modo ſe habere. Argumenta autem priori generi convenientia vocantur demonſtrationes, poſteriori verò Probabilitates. Hinc ſequitur nullum numerum finitum Probabilitatum demonſtrationi eſſe æquipollentem. Patet etiam fundamentum demonſtratorum eſſe hoc effatum, Quod non poteſt non eſſe illud ſemper eſt, at non demonſtratorum fundamentum eſſe iſtud alterum, Quod ſæpe eſt illud ſemper eſt: Et, cum illud effatum luce ſe ſuâ demonſtret, hoc tamen neque ex ſe neque ex aliis poteſt ita probari ut nunquam debeat falſum cenſeri.

Ex hiſce concludo nos non eſſe tam certos cum aſſenſum non demonſtratis præbemus, quàm cum eundem demonſtratis impertimur; adeoque non eſſe tam tenaciter adhærendum opinioni non demonſtratis ſuffultæ quàm alii per demonſtrata inventæ.

Deinde ſciendum eſt illos, qui hiſtoriæ auctori fidem haberi volunt, hoc eſt qui inventorem proponunt cujus auctoritas ingreditur quæſtionis conditiones, neceſſariò ſupponere hæc effata, Primò

1. Senſibus ſemper eſſe habendam fidem.

2. Se-

2. Secundo, Hiſtoriæ expoſitæ inventores ſemper ea aliis narraſſe, quæ ipſi ſenſuum ope agnoverant, Quod non eſt demonſtratum;

3. Tertio, Eos, per quos hiſtoria propoſita nobis eſt tradita, tales fuiſſe, ut eandem prorſus poſteris ſemper tradiderint, quam à patribus acceperant. Quod non eſt demonſtratum.

4. Quarto, Si hiſtoria non ſcripta & vetus proponatur, tum ſequens effatum ſupponere pro vero oportet, nempe, Eos qui eam per manûs nobis tradidêre, nunquam fuiſſe ullius rei oblitos.
Quod demonſtratum non eſt.

Atque hæc ſunt limitationis, quam neceſſariam dixi, fundamenta, quæ ſatis oſtendunt omnem hiſtoriæ fidem huic ſuperſtructam eſſe effato, ---
Quod ſæpe vel plerumque fit, illud ſemper fit.

Ex iis autem ſequitur, certiores nos eſſe de demonſtratis, quàm de ulla re ab hiſtoriæ fide deſumpta. Deinde certiores eſſe de iis, quæ per ſenſûs, quàm quæ ope ſolius hiſtoriæ cognoſcimus; adeoque argumentum ab hiſtoriæ fide petitum non valere adverſus demonſtrata vel ſenſu percepta.

Quin etiam ſequitur nos non tam certos eſſe de veritate hiſtoriæ, quàm ſunt ejus auctores; hi enim ſolum primum effatum pro demonſtrato uſurpant, nos etiam ſecundum adhibemus, quod tamen demonſtratum non eſt: Neque tam certos eſſe de veritate hiſtoriæ veteris, quàm non veteris; Quia dum non veteri credimus ſolùm primum & ſecundum effatum ſupponimus, at dum veteri, etiam tertium aſſumimus, quod minimè eſt demonſtratum.

Denique non tam certi ſumus de veritate hiſtoriæ non ſcriptæ, quàm de veritate ſcriptæ; quia ad fidem ſcriptæ conciliandam ſolùm tria priora effata pro demonſtratis habere oportet, at, cum non ſcriptæ credendum eſt, etiam quartum non demonſtratum oportet adhibere, adeoque in horum uno

quam

quam in altero ſemper plura non demonſtrata pro demonſtratis adhibita, hoc eſt plura incertitudine aliqua laborantia deprehendimus. Eâdem de cauſſa ſi *Ariſtoteles* & *Hippocrates* concedatur fuiſſe infallibiles, certiores eſſe poterimus de iis, quæ illi tradidêre, quàm de aliis, quæ aliorum hiſtoricorum fidei acceptum referimus. Unicum addo ſemper certiores nos eſſe poſſe de veritate earum obſervationum, quæ pro libitu rurſus inſtitui, quàm quæ olim peractæ rurſus inſtitui non poſſunt.

Nemo eſt qui non facile poterit perſpicere ex hoc fundamento demonſtrari, nulla hiſtorici, cujus auctoritas conditiones problematis ingreditur, Quales ſunt apud peripateticos *Ariſtoteles*, Medicos quoſdam *Hippocrates*, & apud alios alii, dicta ita debere explicari, ut contraria ſint ulli demonſtrato aut nobis per ſenſus cognito, aut etiam ulli opinioni, quam ideis à ſenſu ſubminiſtratis evidentia exæquat, Aut ulli effato quamvis non demonſtrato à quo fides hiſtoriæ omnis dependet, aut denique ulli opinioni quæ tundamentis fulcitur non minùs probabilibus, quàm ſunt axiomata illa non demonſtrata, quibus hiſtoriæ auctoritas innititur. Memores autem ſemper eſſe oportet Licentiam, qua uti decet in explicandis hiſtoriis, tanto minorem eſſe, quanto major eſt hiſtorici ſeu inventoris auctoritas; hæc verò tanto major eſt, quanto minor eſt numerus non demonſtratorum, quibus ceu demonſtratis hiſtoria imponitur.

Jamque videor problema de inventoribus exegiſſe, quod qui diligenter adverterit, artemque calluerit quæſtiones ad formam problemati, cum id fieri poteſt, convenientem redigendi, perſpiciet me paucis verbis indicaſſe rationem, qua ſe poterit ab innumeris & vulgo non ſuperandis difficultatibus expedire.

FINIS.